

Bibliothèque numérique

medic@

**Lanigan, Georges - candidat / Leclerc,
Claude-Bartholomée-Jean - président
/ Le Bert, Jean-Matthieu - auteur. - An
Pulmo praecipuus Sanguinis opisex ?**

1786.

***Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi, viâ dictâ
du Fouarre***

Cote : ms 2337a n°139

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCAE,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

Bibliothèque
Médicale
Paris

QUÆSTIO MEDICA*,

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,
*manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ sextâ
mensis Novembris, anno Domini M. DCC. LXXXVI.*


M. CLAUDIO-BARTHOLOMÆO-JOANNE LECLERC,
Doctore Medico, Præside.

An Pulmo præcipuus Sanguinis opifex?

I.

VITÆ fomes & instrumentum sanguis Fœcundæ instar scaturiginis microcosmum irrorat, fover, nutrit. Succus dulcis, mollis, ferè in infinitum fecundus. Duas in illo partes reperire est conspicuas, obviasque sensibus, serum & crassamentum. Prius cum aquosam complectitur sanguinis portionem, tum lymphaticam, ex quâ proximè nutritio; ubi leni calore turgescit, agitur in bullas, abique sensim in vaporem, mox in *gelatinosam* densatur substantiam, tandemque in osseas veluti, pellucas, & cornu similes lamellas concrevit. Posterius duplici constat substantiâ, purpureâ nimirum & fibrosâ. Purpurea congeries est globulorum rubentium ex aliis tenuioribus conflatorum, abeuntibus in pellucida quædam & plano-ovalia segmenta. A coacervatis ejusmodi globulis, rubicundus sanguinis color; horum vix ullus deprehenditur ad humanæ machinæ functiones usus: quot enim animalia purpureo sanguinis colore destituta? Pars altera crassamenti fibris distincta est retis in modum implicitis: in ejus loculis serum & globuli rubri delitescent. Crassioribus constat ponderosioribusque moleculis, quibus præceps volatiliū impetus cohibetur, adeoque citatior eorum effluxus miris

* Propugnata, anno 1714, à Joanne-Mathæo LE BERT; M. Petro-Antonio LEFY, Præside.



modis reprimatur. Hæc dum perpetuo circuitionis motu attenuatur atque migrat in serum, recentis appulsu chyli usque restituitur. Quisquis locum noverit in quo purpureus hic latex maximè conteritur, certè germanam retexerit sanguinis officinam, & in divini liquoris quasi sacrarium penetrarit?

I I.

NIHILO felicior recentiorum industria quàm veterum, in exco- gitandâ hæmatoseos causâ. Nodum illi per fermentum, hi per je- cur, refecant: neutri solvunt. Imò verò ut circuitus illius mirifici insci- tia hos à culpâ quodammodo vindicat, sic illos invicta Harvæi experi- menta turpi errore premunt. Ecquid enim adversetur magis circuitui quàm fermentatio, motui totius quàm principiorum, progressivo quàm expansivus. Qualia chyli, talia videas & sanguinis instrumenta. Mola- ribus primùm dentibus, dein musculosis stomachi fibris tunduntur ali- menta in chylum, simili prorsus ratione partium solidarum *oscillationes* repetitæ, variique anfractus quos subire cogitur sanguis, debitam ipsi impertiunt naturam. Dubitas? Nonne quò tenuior sanguinis substantia, eò ad obeunda munia corporis accommodatior? Fibra sanguinea rite contrita capillares meatus pervadit; succus nutritius sero dilutus, omni ex parte comminutus & ad vasorum usque oscula delatus, erumpentium partim particularum jacturam resarcit. Quanquam autem cor & arteriæ in sanguinis opificio partes suas agant, vasa tamen pulmonaria ab aëre compressa præcipuum hæmatoseos opus sibi vindicant, tanquam primaria hujus instrumenta.

I I I.

RESPIRATIONIS materies aër, organum pulmo; cujus me- les, figura, numerus diversis in animantibus diverso se habent & mirabili modo. Hic verè ludens natura luxuriat. Testudinis pulmo ad infimam usque ventris inferioris partem pertingit; in insectis omnibus multiplices tracheas arterias per totum corpus dispersas, arteriarumque more divisas observes. Octodecim pulmones in papilionibus animadver- tuntur; & quidem inclytam illam corporis organici partem natura so- lers præparandis succis ita necessariam duxit, eâ ut plantas carere non passa sit. Enim verò plantæ per vascula patula, flexilia, atque ex la- mellis vel squammatim dispositis, vel in spiræ modum contortis conflata sic vigent, ut ejusmodi vasculis, pulmonum ritu, aërem ex terrâ sus- cipiant, quo deindè succi nutritii solutio perficiatur. Mira in homine pulmonum compages, visu non præclara minus quàm usu. Coalescit ni- mirum ex levissimis tenuissimisque membranis, quæ extensæ sinuantur

3

in infinitas penè vesiculas; istæ autem sic inter se disponuntur, ut ex tracheâ in vesiculas, ex alterâ vesiculâ in alteram aditus pateat liber, omnesque tandem in membranam continentem desinere videantur. Hæ porro capsulæ quamplurimis ductibus sanguineis interiùs scatent, exteriùs verò vasis constant in reticuli modum contextis, & ita gracilibus ut pro staminibus nervosis habita fuerant. Quantulæ sint sanguinis moleculæ, quæ tam arctos, sinuosos (quales nullibi reperire sit) meatus transcurrunt, quantaque sit vis aëris in sanguinem irruentis per tot derivatum canaliculorum mæandros, cui non exploratum?

I V.

CAVENDUM imprimis ne fucum incautis faciat vis elastica cordis à Neotericis meritò decantata. Cor certè musculus est virtutis non spernendæ; ipsius quoque aortæ suis instructæ carnosæ fibræ vegetus admodum motus. Neque tamen est quod cum pulmone de palmâ contendat. Huic datum est præcipuum quoddam regni corporei munus exercere, fontemque vitæ sanguinem conterendo perficere. In corde unius momenti pressio, & in singulas sanguinis partes unica. Neque verò dixeris in capillaribus aortæ ramulis æquè ac in pulmonatibus incidi sanguinis particulas: illic enim systoles diastolesque motus admodum videtur remissus, nulla est irruentis aëris actio, nulla pressio. Nec mirum: ibi enim homogeneæ particulæ sibi invicem adhærent, reliquæque tantùm elabi sinunt: extrema verò vasorum pulmonarium non ad secernendas, sed ad conterendas, comminuendas, miscendasque moleculas natura comparavit. Atque hinc est quòd fuerint eo contextûs artificio elaborata, ut ad industriæ specimen non minùs quàm ad corporis organici principem usum effecta dicas. Aër in pulmones delatus solâ vi percussione vesiculas aëri non pervias expandit; hæ naturali elatere extensioni obfistunt: quantus igitur inde sanguinis attritus duabus subjecti hinc & indè viribus, ductusque angustissimos, longissimos, maximèque tortuosos permeantis?

V.

INTIMAM sanguinis fabricam quisque propitiùs rimari voluerit, æmulam naturæ artem miretur in opificibus. Illi ut corpora quædam tenuissimum in pulverem comminuant exiguum materiæ comminuendæ partem lapidi (quem porphyritem vocant) impositam alterius saxi collisu conterunt. Pari ratione sanguis alveos arctissimos pulmonumque vesiculis coextensos permeans magis ab aëre comprimitur attentaturque quàm si patentioribus vasis spatiosè containeretur; enimverò liquidum est corpus solidorum pressioni obnoxium, quæ quidem si languesceret & remitte-

4

retur, illud motum & fluiditatem, id est naturam præstantiamque amitteret. Cum igitur per fermentationem nativa sanguinis pervertatur crasis, nec salia fermentescere apta in eo reperire sit, nodum in scirpo querit, qui ab aliâ causâ quàm a solidorum tritu repetit sanguinis perfectionem. Ubinam accuratiùs quàm in pulmone absolvitur? Quo vigente viget, labefactato corrui innumeras ægritudines paritura sanguinis compages. Aliam assigna partem corporis aptiorem, ò perspicax naturæ indagator, qui repugnas. In pulmone à naturâ comparata est idonea organorum terentium supellex, ibi arteriarum motus, ibi aëris compressio, ibi vesicularum vivax mirabilisque agitatio. Erumpens inde sanguis spumofus, coccineus, & tenuissimus.

Ergo Pulmo præcipuus Sanguinis opifex.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Philibertus BORIE.

M. Petrus-Augustinus ADST.

M. Simon-Anton. BRINGAUD

M. Bernardus-Nicolaus PLUVINET.

M. Claudius - Bartholomæus-Joannes LE CLERC.

*M. Claudius-Josephus GENTIL
Militarium Nosocomiorum ac
Regis exercitum Medicus.*

M. Franciscus-Henricus-Theodorus COZETTE.

M. Matthæus GERAUD.

M. Edmund. Thomas MOREAU.

Proponebat Parisiis, GEORGIUS LANIGAN, Hybernus, Facultatis Medicinæ Nanceianæ Doctor, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

A. R. S. H. 1786. AB OCTAVA AD MERIDIEM.



Typis QUILLAV, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi,
viâ dictâ du Fouarre, 1786.